



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Poppe Conf. 25. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Ian.  
scu-  
agi-  
rem  
apas  
cum  
do-  
abat  
ilo-  
ani-  
nes  
stro  
na-  
ret.  
tte-  
rat,  
ere,  
  
ne-  
icet  
ibet  
ra-  
nt.  
  
i.  
di-  
v-  
tâ,  
ym  
ris  
vs  
fi-  
ab  
x-  
it,  
  
25.Ian. VITÆ SANCTORVM. 57  
cutit, & feroce spiritus humi cum domino suo affligit, simul vox istiusmodi cælo intonat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* mox sciscitanti: *Quis es Domine?* responsum redditur: *Ego sum JESVS Nazarenus, quem tu persequeris.* Atque hæc demùm vox illam nobilissimam expressit: *Domine quid me vis facere?* Ergo Damascum conferre se jussus, eò à comitibus, & ipsis rerum gestarum miraculo stupentibus abducitur. Ibi triduum apertis oculis cæcus ac jejonus ab Anania demùm & oculorum, &, quod caput est, fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps per omnes provincias circumferens tot gentibus accedit, ut rem mihi attentius consideranti unus quidem hodie cecidiisse PAVLVS, cæterum surrexisse cum PAVLO totus orbis videatur.

*Ex Act. Apost.*

*Sicut modo nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo, qui possit. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam.* S.Bernard. serm. i. in Epiph. Dom.

S. POPPO CONF. 25. Ianuarii.

**V**Idetur Poppe ad gloriam paternam bellicaque laudes ab ipso matris utero properasse. Etenim jam tunc latere respuens septimo statim mense in lucem, mox ubi per ætatem licuit, ad bellum prodiit. Pietatem tamen comitem secum traxit, & subinde ad vestigia Christi Jerosolymam, alias Romam ad Principum Apostolorum limina invisit. Redux, dum nuptias easque illustres cogitat, jamque ad has equo properat, cælesti luce se animumque atque adeò hastam etiam suam fulgere animadvertisit. Inde omen auspiciumque melioris militiæ capit, & sacramentum apud mona-

C §

chos

chos dicit. Inter tyrocinii tempora cùm fletu alios inundari, ipse pumex, videret; saxon è pectori fontem oculis statuit petere. quod factum postea tam abundè, ut pavimenta, & vestes sacrificantis fletu maderent, interque cœnulam plus videretur lacrimarum quām aquæ bibere. Magnatibus etiam familiaris pacem inter Conradum Imp. & Henricum Regem sanxit. Venenum non semel innoxius babit, illis morientibus, qui miscuerant. Pastorem à lupo laniatum vitæ, & gregi reddidit: dæmonem ludicrâ alapâ fugavit. Moritur denique cilicio incumbens, terramque matrem prono pectori deosculans. Mortuum sex dies odor mirissimus laudavit suavissimusque; tumularunt inter homines visi Angeli, sepulchrum verò ingentia miracula ornarunt. Ex Surio.

*Ornari abs te Diabolus querit. si Calicem aureum invenisses in terra, donares illum Ecclesia Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Sathanæ propinas te ipsum.*  
S.Aug.Ep.41.

### B. HENRICUS SUSO C. 25.Ianuarii.

**H**ENRICVS SVSO Constantiæ in D. Dominici familiam adlectus simulque à JESV in adyta amoris inductus, JESV nomen pectori insculpsit ingeniosus cælator. Digitales erant literæ, quæq; ad cordis motum, & ipsæ movebantur, ut cum hoc dudum conspirasse, idemque utrobique agiscires. Interea inter dolores deficientem alterum, & è cælo lapsum nomen JESV è cruce auro gemmisque rutilans recreavit. Et cur à Filio Mater abesser? MARIAM salutare ante solem gestiebat, tunc præsertim, cùm idē facere Angelos audiisset,

illis